



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XVIII. De cohabitatione clericorum & mulierum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

Etius euitari. Nullusque clericus vel scholaris nostræ prouinciæ sub poena suspensionis ab ordine quem suscepit ab eodem, quam contrauenientes incurrere volunt ipso facto, sacros aut minores ordines: nec etiam laici vtriusque sexus confirmationis sacramentum quoquo modo recipere presumant. Nec inuitentur tales, nec venientes sponte admittantur ad consecrandum basilicas, altaria, aut ad benedicendum quascumque res sacras, nisi de absolutione ipsorum constiterit manifeste.

## XVIII.

*De cohabitatione clericorum & mulierum.*

Ad arcendum concubinatus crimen, ut de clero penitus euellatur, summo studio per sacros Canones est prouisum. Quia tamen tempore, quo vniuersalis ecclesia monstruose diuisa persitit, modica diligentia adhibita fuit in exequendo eisdem prouisionibus, crimen prefatum in multis locis etiam prouinciæ nostræ, cum maximo catholicorum scandalo, totius clericalis ordinis contemptu frequentatur. Cui morbo volentes occurrere, ut debemus, sacro approbante Concilio decernimus, ut deinceps omnes in sacris ordinibus existentes, vel etiam in minoribus beneficiati, vel ad religionem aliquam Deo sponte oblati & obligati, qui concubinatus foeditate castitatis votum notorie seu publice violarunt, tenendo notorie concubinas, poenis infra scriptis ipso facto subiaceant, ut videlicet si habuerunt beneficia secularia vel regularia officia, aut administrationes, vel dignitates, nisi infra duos menses prorsus † a se remouerint, ipso iure intelligentur suis beneficiis, officiis, administrationibus & dignitatibus ecclesiasticis per hanc constitutionem priuati. Et possunt ipsa beneficia, officia, administrationes & dignitates praedictæ libere per habentes potestatem aliis conferri, impetrari, vel de eisdem aliis modis ecclesiasticis prouideri. Si vero beneficiati non fuerint, & concubinas notorie & publice detinuerint, & infra duos menses a se non separauerint, sint ipso iure inhabiles ad quæcumque beneficia ecclesiastica assequenda, poenis aliis a sacris Canonibus contra tales editis in suo robore duraturis.

† Quæ sequuntur, ex manu scripto Ratisbonensi suppleta sunt.